

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (7)

2.3.7.5. De virorum monasterio Sancti Andreae

2.3.7.5.1. De aedificio monasteriali

Cum undique angustiae locales vigerent, P. Andreas Amrhein iam mense Februario a. 1890ⁱ novum aedificium monasteriale, quod viris destinaretur, exstruendum esse decrevit.¹ Statim autem ipse praedispositiones monasterii futuri exarare coepit. Secundum haec consilia aedificium futurum in longitudinem sexaginta trium metrorum² et in latitudinem viginti unum metrorum extenderetur. Provisum erat, ut domus tria tabulata haberet, in cuius medio turris altitudinis triginta trium metrorum exstrueretur.³

Die 17^o m. Mart. a. 1890^o in ipsa area structionis locus frontispicii signabatur⁴ et unā septimanā post - arboribus pomiferis amotis - fundamenta effodi coepta sunt.⁵ Tamen hae primae actiones non diu durabant, cum iam mense Iunio a. 1890^o opera interrupta essent. Causa exterior erat in eo, quod omnibus operariis atque omnibus manibus auxiliatricibus in novo aedificio monasteriali sororum exstruendo opus erat. Sed etiam alia causa commemoratur, cur labores intermissi sint.⁶ Nam dicitur episcopus Augustanus hoc rogavisse, cum idem exspectandum esse putaret, quid episcopi Germani mense Augusto a. 1890ⁱ de centrali domo missionariā instituendā decreturi essent.⁷

Inde ex tempore vernali a. 1891ⁱ P. Andreas Amrhein iterum in novum aedifi-

¹ Cfr Leander BOPP: P. Andreas Amrhein O.S.B. Der Gründer der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. St. Ottilien 1954, p. 174; Maria HILDEBRANDT: Lebendige Steine. St. Ottilien 2008, p. 111.

² Illa sexaginta tria metra longitudinis congruebant cum sexaginta tribus annis vitae, quos Sanctus Benedictus explevisse dicitur.

³ Cfr Leander BOPP (1954), p. 174; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 112. - Iam illo tempore P. Andreas Amrhein de congregationis ecclesiā exstruendā deliberavit, quae in latere occidentali monasterii futuri adiungeretur.

⁴ Cfr Leander BOPP (1954), p. 175; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 112.

⁵ His in operibus ossa humana inventa sunt. Cum illo tempore nondum ita notum esset ipsam regionem iam ab Celtis inhabitatam fuisse, nesciebatur agi de ossibus historicis (quia eo tempore investigatio scientifica rerum inventarum etiam non est facta). Ottiliani autem putaverunt ossa inventa provenire ex scelere recentiore tempore commisso, quia Ambingenses famam non nimis bonam habuerant.

⁶ Cfr Leander BOPP (1954), p. 175.

⁷ De hac re cfr supra cap. 2.3.5.3.

cium monasteriale incubuit aliasque deliberationes quoad eius structuram exhibuit.⁸ Tamen inde ex medio mense Iulio a. 1891ⁱ idem imprimis atque specialiter opera exstructionis curavit⁹ atque tunc temporis etiam ad priora consilia revertit. Itaque unum aedificium praedisposuit, quod in longitudinem sexaginta trium metrorum extenderetur et quo area mille ducentorum metrorum quadratorum contegeretur. Die 25^o m. Iul. a. 1891^o P. Andreas Amrhein aream substructionis definitive constituit, ita ut monasterium virorum quoad frontispicia Sancti Michaelis et Sanctae Catharinae quadamtenus rectangulariter poneretur ab latere meridionali cappellae Sanctae Ottiliae circiter quinquaginta metris distans.¹⁰ Tamen non provisum erat, ut cellarium specialiter effoderetur, sed occidentale latus aedificii ita in collem imponendum erat, ut hunc in modum cellarium exoriretur.


Statim autem in septentrionali latere futuri aedificii P. Andreas Amrhein margines fundamenti signavit, quamvis operis descriptio nondum definitive delineata confectaue esset. Interea area aedificationis praeparabatur atque

⁸ Secundum has deliberationes totum monasterium ecclesiā inclusā insimul aedificandum erat. Ecclesia ipsa modo parallelo iuxta aedificium Sancti Michaelis ab oriente in occidentem extenta exstrui praedisposita erat, in cuius latere et orientali et occidentali duo aedificia monasterialia ponerentur. Aedificium occidentale oecis communibus (velut refectorio, oeco capituli, bibliothecae sim.) destinatum erat, cum aedificio orientali conclavia habitationis containerentur. Tamen ut tale consilium ad effectum adduceretur, nimia pecunia fuisset eroganda. - *Cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), p. 118; Leander BOPP (1954), p. 176, qui de tertio quōque consilio refert, quod in archivo Ottiliensi inveniebatur. Secundum illud consilium ecclesia etiam iam praecogitata erat, circa cuius latus orientale tres alae monasterii ita exstruerentur, ut clausum cavaedium quadratum exoriretur, in quod chorus ecclesiae extenderetur. Leander BOPP adnotat exarationi huius consilii diem annumque quidem non esse adscriptos, sed suspicandum esse agi de deliberationibus vere maturis, quia aedificium Sancti Andreae, quod postea revera confectum est, ibidem omnino non appareret.

⁹ Uti iam commemoratum est, P. Andreas Amrhein illo anno 1891^o crisim quandam habuisse videtur, quā de causā ipso rogante episcopus Augustanus régimen consociationis ad tempus quoddam P.ri Mauro Hartmann tradidit. Ipse P. Andreas Amrhein illo spatio temporis tantummodo rebus aedificatoriis se dedit. - *Cfr* etiam epistula P.ris Andreae Amrhein die 9^o m. Iul. a. 1891^o ad episcopum Augustanum Pancratium von Dinkel directa, quā de hac rogatione agitur. Matilda HANDL / Cyrill SCHÄFER (edd.): Der Gründer. Briefe von P. Andreas Amrhein. II. St. Ottilien 2010, p. 971. - De conexū *cfr* supra cap. 2.3.5.3.

¹⁰ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 176; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 118; Frumentius RENNERT: Der fünfarmige Leuchter. I. St. Ottilien ²1979, p. 138.

materiae, velut caementum lateresque afferebantur. Hac in re - sicuti iam in monasterio sororum aedificando - rustici circumcirca habitantes vehiculis suis multum auxilii tulerunt. Die autem 2^o m. Aug. a. 1891^o prima pala ad fun-



Monasterii virorum aspectus praedispositus.
[Missionskalender 1892, coll. 273/274.]

damenta effodienda terrae inserta est, quam rem facere licuit Dominico Enshoff, qui eodem die primitias suas celebraverat.¹¹ Fundamenti vero margines totius aedificii P. Andreas Amrhein paulatim signavit, postquam area aedificatoria ab arboribus, arbustis aliisque obstaculis libera fuit. Qui labores signandi usque ad diem 6^o m. Aug. a. 1891^o duraverunt. Ipsi P.ri Andreae Amrhein ille dies erat alicuius momenti, quia tredecim annis ante in loco Affligenio vota obtulerat, quibus se institutum missionarium Benedictinorum conditurum esse, simulatque fieri posset, promiserat.¹²

¹¹ *Cfr* Missionskalender 1892, col. 283; Paulus SAUTER: Die St. Benediktus-Missions-Genossenschaft. Rückblick auf die ersten zehn Jahre. St. Ottilien 1894, p. 14; Leander BOPP (1954), p. 176; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 10 [typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum].

¹² *Cfr* Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe eines Missionsberufes. 2. In: Cyrill SCHÄFER (ed.): Der Gründer. P. Andreas Amrhein OSB (1844-1927). Schriften. St. Ottilien 2006, p. 90; Leander BOPP (1954), p. 28; Suso BRECHTER: Beurons Beitrag zur Gründung von St. Ottilien. In: Virgil FIALA (ed.): Beuron. Festschrift zum hundert-jährigen Bestehen der Erzabtei St. Martin, Beuron. Beuron 1963, p. 243; Laurenz

Cum fundamenta iam essent confecta atque muri exteriores iam exstrui coepit essent, P. Andreas Amrhein adhuc in ichnographias descriptionesque aedificii incubuit. In fine mensis Augusti a. 1891ⁱ denique licentiam officialem magistratūs districtūs Landsbergensis acquisivit. Structurae autem genus aedificii monasterialis praedispositum erat neo-goticum.¹³

Actio vero maioris momenti die 30^o m. Aug. a. 1891^o instituebatur. Nam illo die tempore vespertino P. Andreas Amrhein lapidem principalem novi monasterii virorum sollemniter posuit.¹⁴

Decursū temporis insequentis labores exstruendi bene progrediebantur. Primis diebus mensis Septembris in aedificii latere septentrionali arcus fastigiatus¹⁵ portae lateralis iam aedificabatur et unā septimanā post omnes


KILGER: Die Missionsgedanken bei der Benediktinergründung von St. Ottilien und die Übernahme der Afrikamission. In: Zeitschrift für Missionswissenschaft und Religionswissenschaft 24, 1934, p. 214. - De toto conexū *cfr* supra cap. 2.1.2. - Ceterum aliter ac in Annalibus a. 1891ⁱ verisimiliter ipso P. Andreā instigante refertur, idem - ut ex scripto supra commemorato apparet - votis oblatis non de «monasterio», sed de «opere missionario» condendo loquitur.

¹³ Ut Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 138 commemorat, exemplum P.ri Andreae Amrhein erat monasterium Maretiole [Maredsous], ubi unā cum Hildebrando de Hemptinne primas experientias architectandi fecerat. *Cfr* supra cap. 2.1.2. - Tamen effectus atque aspectus in archiabbatia Ottiliensi est omnino alius, id quod non solum cum Ottiliensi modo architectandi «lucidior», ut ita dicam, cohaeret, sed etiam cum condicione regionali, quae latior apertiorque est, et denique cum illā condicione, quā archiabbatia Ottiliensis ex vico iam existente exorta paulatim et gradatim crevit.

¹⁴ *Cfr* Missionskalender 1892, col. 283; Paulus SAUTER (1894), p. 14; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 120; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 10 [typoscriptum]; Leander BOPP (1954), pp. 176 sq., qui etiam textum testimonii lapidi principali impositi partim affert. Qui textus originaliter Latinus est hic: «... lapidem hunc angularem ... posuit ... peccator quidam, supradictae Congregationis ... fundator ac primus Superior, cuius nomen nemini nisi soli Iesu Christi sit notum ...» Haec verba referunt ad vota, quae P. Andreas Amrhein in peregrinatione piā Affligenensi exhibuerat et quibus rogatione expletā promiserat se «pro tota vita omnem honorem nominis atque ipsum nomen renuntiare» [verba originaliter Theodisca]. *Cfr* Andreas AMRHEIN: Anfänge und Kämpfe 2. In: Cyrill SCHÄFER (ed.) (2006), p. 90. Leander BOPP (1954), p. 177 recte adnotat fuisse omnino supervacaneum atque inutile in testimonio lapidis principalis nomen fundatoris reticere, quia unusquisque scivisset, quis esset fundator atque superior Congregationis, et quia praeterea nemo nomen fundatoris in tali testimonio quaereret.

¹⁵ fastigiātus, -a, -um: *spitzbogig*. - *Cfr* ThLL VI 324,67 sqq. fastīgō, -āvī, -ātum, -āre. **I** proprie in obliquum, declive ducere, acuere **A** part. perf. pass. fastīgātus fere pro adiect.: obliquus, declivis, acutus: **1** de montibus ... **2** de operibus, aedificiis vel rebus

muri exteriores usque ad altitudinem primi tabulati iam exstructi erant.¹⁶
Medio mense Octobri opera iam ad hoc punctum pervenerant, quo secundum



Ichnographiae singulorum tabulatorum monasterii.
[Missionskalender 1892, coll. 277/278.]

atque tertium tabulatum confectum erat, ita ut arcuatae fenestrae goticae
inseri possent.¹⁷

Illo tempore res satis celeriter progrediebantur, cum non solum quidam

ad aedificia pertinentibus, sive aedificiis similibus, instrumentis, lineis. - 324,60 sqq.:
forma fastigiare a «fastigium» deducta traditur: PLIN. nat. 18,52 et 19,70.

¹⁶ Cfr Missionskalender 1892, col. 283; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 120.

¹⁷ Iam ab initio P. Andreas Amrhein praedisposuerat medio in latere occidentali aedificii monasterialis coniunctionem cum futurā ecclesiā exstruendam esse. Hōc praeter alia etiam ex ichnographiā apparet.

operarii extranei¹⁸ auxilium ferrent, sed imprimis omnes monachi et etiam alumni studiosique tempore «feriarum» variis modis impigerrime cooperarentur. Etiam hac vice - sicut in monasterio sororum aedificando - plurimi agricolae circumcirca habitantes vehiculis suis materias necessarias mandatas atque coemptas gratuito attulerunt.¹⁹ Non autem neglegendi sunt illi labores, quos ipse P. Andreas Amrhein in rebus praedisponendis, coordinandis, observandis exhibuit.²⁰

Quamvis usque ad hiemem aedificium ad statum quendam produci potuisset, deinde tamen labores variis ex causis retardabantur. Nam unā ex parte alia opera urgentia intercesserunt, alterā ex parte P. Andreas Amrhein, qui omnia, quae ad novum aedificium exstruendum spectabant, usque ad minimas res ipse praedisponere solebat, propter itinera quaedam aberat,²¹ denique inter-

¹⁸ Fuerunt triginta quinque.

¹⁹ Hos labores et confratrum et vicinorum P. Andreas Amrhein expressis verbis commemoravit in relatione rationis reddendae, quam die 9^o m. Dec. a. 1891^o ad Coloniense praesidium centrale Consociationis Africanae direxit. - *Cfr* Matilda HANDL / Cyrill SCHÄFER (edd.): *Der Gründer. Briefe II* (2010), p. 1009. - *Cfr* etiam Paulus SAUTER (1894), p. 15; Frumentius RENNER: *Leuchter I* (²1979), p. 139.

²⁰ Aliquotenus hoc animadverti potest, cum commercium epistulare inspiciatur, quod P. Andreas Amrhein illo tempore cum officinis opificinisque habuit. Quibus epistulis agebatur de interrogationibus, de materiis mandandis, de materiis inspiciendis, de reclamationibus, de retardationibus, de temporibus praedisponendis coordinandisque, de rationibus pecuniariis solvendis et sic porro. - *Cfr* Matilda HANDL / Cyrill SCHÄFER (edd.): *Der Gründer. Briefe II* (2010), pp. 985 sqq. - Significans praeter alias est epistula quaedam, quam P. Andreas Amrhein die 21^o m. Sept. a. 1891^o ad officinam in loco Isselburg sitam direxit et quā ducentas duas fenestras ferro fusas* varii magnitudinis formaeque mandavit. Ibīdem non solum singula genera, eorum magnitudinem eorumque copiam desideratam singillatim enumerat, sed etiam rogavit, ut quaedam exemplaria fenestrarum fastigiatarum in antecessum modo accelerato mitterentur, ut muri eisdem optime adaptari possent. Praeterea paululum urget, ut mandatum celeriter exsequeretur, cum ante initium hiemis fenestrae aedificio imponi deberent. Denique monuit, ut fenestrarum alae ventilationis optime denseque claudi possent, cum hōc propter usitatam tempestatem ventosam pluviosamque in regione Ottiliensi omnino necessarium esset. - *Cfr* Matilda HANDL / Cyrill SCHÄFER (edd.): *Der Gründer. Briefe II* (2010), pp. 985 sqq. - Ceterum scitū dignum mihi esse videtur, quod P. Andreas Amrhein in epistulis ad officinas opificinasque directis non de «monasterio» aedificando, sed de «aedificio seminarii» exstruendo loquitur.

*) ferrum (-ī n.) fusum: *Gußeisen*.

²¹ Praeter quaedam itinera breviora imprimis iter nominandum est, quo īdem ab fine mensis Martii usque ad medium mensem Iunium a. 1892ⁱ Romae versabatur.

dum etiam pecunia deficiebat.²²

Tectum ergo monasterii aliquando mense Februario a. 1892ⁱ exstrui coeptum est²³ et aedificium exterior maximā ex parte usque ad aestatem anni 1892ⁱ



*Aedificium monasterii anno 1892^o in statu exstruendi.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p. 116.]*

confectum erat. Harenatio murorum denique mense Septembri a. 1892ⁱ appo-
sita est. Sed instructio interior tantummodo lente progrediebatur, quae condi-
cio praeter alia cohaerebat cum laboribus, qui fratribus in oeconomia

²² Etiamsi propter proprios labores Ottilianorum, pro quibus pecunia non erat eroganda, et propter auxilium vicinorum gratuito exhibitum et propter architectandi prae-
dispositiones ipsius P.ris Andreae Amrhein, qui quōque «gratuito» praebebantur, expensae aedificationis satis modestae erant. - *Cfr* etiam Leander BOPP (1954), p. 177; relatio a. 1891^o ad Coloniense praesidium centrale Consociationis Africanae directa: Matilda HANDL / Cyrill SCHÄFER (edd.): *Der Gründer. Briefe II* (2010), p. 1009.

²³ *Cfr* materialium mandata ab P.re Andrea Amrhein facta: Matilda HANDL / Cyrill SCHÄFER (edd.): *Der Gründer. Briefe II* (2010), pp. 1028 sqq.

agriculturāque exanclandi erant.²⁴ Decursū autem anni 1893ⁱ operae ita processerant, ut Kalendis Augustis officialis transmigratio in novum monasterium facta sit,²⁵ et haec quidem sollemni benedictione cappellae, quae in oeco capituli instituebatur.²⁶

Eiusdem diei vespere etiam fratres clerici in novum aedificium transmigraverunt, quos die 24^o m. Aug. a. 1893^o patres quōque secuti sunt.²⁷ Ipse P. Andreas Amrhein in initio mensis Octobris a. 1893^o in novam habitationem suam immigravit, quae in primo tabulato sita erat.²⁸ Paulatim etiam reliqui oeci usui suo tradebantur. Etiam libri, postquam aliquamdiu in oeco capituli depositi erant, denique anno 1895^o in conclavi bibliothecario locum suum invēnerunt. Tamen uno anno post, cum angustiae iam exortae essent, libri denuo translati sunt ad duo conclavia in secundo tabulato sita.²⁹ Die autem 19^o m. Aug. a. 1893^o nuntiabatur novo monasterio nomen Sancti Andreae inditum esse.³⁰

Sed novi aedificii instructio interna diutius protrahebatur. Huiusmodi retar

²⁴ Tamen - ut Leander BOPP (1954), p. 177 refert - festum diei onomastici P.ris Andreae Amrhein, qui die 30^o m. Nov. celebrari solebat, anno 1892^o iam in novo refectorio institui potuit.

²⁵ *Cfr* Paulus SAUTER (1894), p. 18; Cyrill WEHRMEISTER: Die Benediktinermissionäre von St. Ottilien. St. Ottilien 1939, p. 11 (qui diem 2^o m. Aug. a. 1893^o indicat); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 127; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p.11 [typoscriptum].

²⁶ Iam Kalendis Aprilibus a. 1893ⁱ ipse P. Andreas Amrhein in epistolā ad Pancratium von Dinkel directā episcopum certiore fecit maius oratorium omnino necessarium esse, quia parva cappella Sanctae Ottiliae indigentis consociationis crescentis non iam sufficeret. - *Cfr* Matilda HANDL / Cyrill SCHÄFER (edd.): Der Gründer. Briefe II (2010), p. 1089. - Videtur deinde mense Iulio a. 1893ⁱ P. Maurus Hartmann episcopum Augustanum rogavisse, ut in novo refectorio cappella provisoria institui liceret. Quae tamen re concessā primo in oeco capituli locum inveniebat, sed semianno post tamen in refectorium transferebatur. - *Cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 127 sq.

²⁷ *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 177 sq.; Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 217 sq.

²⁸ *Cfr* Leander BOPP (1954), pp. 177 sq.; Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 217 sq.

²⁹ *Cfr* Beda DANZER: Geschichte der Bibliothek (s.a.), p. 2 [manuscriptum in archivo Ottiliensi asservatum (ASO, A.12)]; Longinus KAPLER: Die Geschichte der Bibliothek (s.a.), p. 1 [typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum (ASO, A.12)]; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 130.

³⁰ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 178; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 127. - Hōc nomen monasterium in honorem P.ris Andreae Amrhein accepit.

datio partim difficultatibus localibus, partim mancis operibus officinarum exterarum debebatur. Sic exempli gratiā problema quoddam exstitit in culinā, quae in monasterii latere septentrionali pedeplanis immediate infra refecto-



Monasterium Sancti Andreae.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p. 117.]

rium sita erat. Nam aquam variis ex causis ibīdem omnino necessariam huic oeco suppeditare haud facile erat. Aestate anni 1893ⁱ conamen, quo puteus institueretur, in irritum ceciderat. Itaque aqua extra domum acquiri et in magno receptaculo intra culinam asservari debuit, quae condicio - ut facile imaginari possumus - erat laboriosa atque incommodissima. Tamen in fine anni fistula aquaria instruebatur, quā fieri potuit, ut aqua anthliā adhibitā statim in culinā hauriretur.³¹

Difficultas autem alius generis, sed non minor exorta est ex scalis centralibus, quae ex pedeplanis ad superiora tabulata ducebant.³² Nam secundum praedispotionem P.ris Andreae Amrhein, quam exactissime exaraverat, gradibus

³¹ Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 128, 308. - Tamen quaestio aquaria diutius mansit problema generale.

³² Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), p. 128.

ex caemento fuis atque septem tabulis intermediis singula tabulata inter se coniungerentur. Ut singulae partes praefabricarentur, mandatum officinae cuidam Ulmensi tradebatur.³³ Sed ibidem res male efficiebatur et opus mancum atque deficiens ad monasterium allatum est, ita ut Ottiliani solum difficulter atque reparando resarciendoque scalas componere valerent. Totus autem aspectus videtur satis horribilis fuisse.³⁴ Itaque scalarium tunc temporis definitive confici non potuit. Insuper molestiae, quae ad has scalas spectabant, prolongabantur et finem quendam intermedium invēnerunt, cum mense Maio a. 1895ⁱ fratres operarii totum opus caementicium laboriose amoverent atque ad tempus scalarium ligneum aedificio imponerent.³⁵

Tamen illo tempore, quo P. Andreas Amrhein ex munere suo se reciperet, monasterii instructio interna nondum plene erat confecta.

2.3.7.5.2. De monasterii domibus portariis deque horto monasteriali

Postquam exterior structura aedificii monasterialis confecta est, iam de circumiectis ordinandis cogitabatur. Nam unā ex parte area circa monasterium sita erat curanda. Itaque iam mense Augusto a. 1892ⁱ ab confratre hortulano subtilis praedispositio horti proponebatur, qui ante monasterii frontispicium orientale institueretur.³⁶ Cum autem tales res, quae cum naturā quōque cohaerent, non ex uno die in alterum ad effectum adduci possent, compositio atque instructio horti usque ad aestatem anni 1893ⁱ protrahebantur. Area vero horti monasterialis non erat nimis parva, cum circiter ex sex semis hectareis constaret.³⁷ Magni momenti ille hortus erat etiam eā de causā, quia ibidem poma holeraque colebantur, quibus monachorum victus cottidianus magnā ex parte efficiebatur.

Eodem tempore, quo primae cogitationes ad hortum spectantes exhibebantur, etiam Sancti Andreae muri externi clausurae exstrui coepti sunt. Idem autem ita ducti sunt, ut in parte orientali areae introitus principalis monasterii finge-

³³ Illo tempore P. Andreas Amrhein propter absentiam ab monasterio hoc opus ipse observare non valuit, sed rem tradiderat ingeniaro Engelberto Schnell Tutzingensi.

³⁴ Defectūs singillatim enumerantur atque describuntur epistolā scitū dignissimā, quam P. Andreas Amrhein die 15^o m. Ian. a. 1894^o ad illam officinam Ulmensem direxit et quā de manco opere vehementer questus est. - *Cfr* Matilda HANDL / Cyrill SCHÄFER (edd.): *Der Gründer. Briefe II* (2010), pp.1104 sqq.


³⁵ *Cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), p. 130.

³⁶ *Cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), p. 261; Paulus SAUTER (1894), pp. 17 sq., qui tamen scribit consilia ab ipso P.re Andrea Amrhein exhibita esse.

³⁷ *Cfr* Paulus SAUTER (1894), p. 18.

retur.³⁸ Tamen ille introitus non erat simplex porta, sed in utroque latere domuncula portaria exstruebatur.

Praedispositionem atque ichnographiam illarum domuncularum etiam P. Andreas Amrhein exaraverat.³⁹ Agebatur autem de parvis aedificiis, quae fastigiis scalatis ornata erant. Ut ex ichnographia apparet utraque domus



Descriptio atque ichnographia domorum portariorum.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p. 183.]

portaria in longitudinem sex metrorum atque triginta centimetrorum extendebatur et latitudinem quattuor metrorum atque viginti centimetrorum habuit. Earum vero frontispicia orientalia unam lineam cum muro clausurae fingebant, ita ut domūs ipsae intra hortum monasterialem sitae essent. Spatio autem inter domūs portarias relicto introitus principalis praebebatur.

Videntur haec aedificia exteriora usque ad finem mensis Octobris a. 1892ⁱ magnā ex parte confecta fuisse.⁴⁰ Sed suggrundium restabat faciendum, quod

³⁸ Cfr Paulus SAUTER (1894), p. 18; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 282.

³⁹ Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), p. 282.

⁴⁰ Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), p. 282, quae ut testimonium relationem ex Annalibus depromptam (27.10.1892) affert. Tamen P. Andreas Amrhein mense Octobri a. 1892ⁱ

ut efficeretur, usque ad initium hiemis contigit. Tamen spatium temporis usque ad mensem Augustum a. 1893ⁱ necessarium erat, usque dum tecta tegulis operta, harenatio apposita atque interiora confecta erant.⁴¹

In domo autem meridionali praeter vestibulum conclave pauperum, quod dicitur et quo homines inopes cibosque petentes recipiebantur, et visitorum oecus expectatorius inveniebantur. Domus portaria septentrionalis similiter



*Domunculae portariae hiemali tempore ex parte monasterii receptae.
[Photographēna ex archivo Ottiliensi depromptum (ASO, K.8).]*

vestibulo instructa erat et etiam duos alios oecos habuit, ex quibus unus habitationi fratris portarii destinatus erat.⁴² P. Andreas Amrhein - ut ex aedificandi descriptione apparet - frontispiciis orientalibus domorum portariarum inscriptiones apponi voluit. Propositum erat, ut in domo meridionali linguā

adhuc materias mandavit, quae ad domos portarias exstruendas spectabant. - *Cfr* Matilda HANDL / Cyrill SCHÄFER (edd.): *Der Gründer. Briefe II* (2010), pp. 1051 sq. (*Cfr* etiam p. 1056 P. ris Andreae Amrhein mandatum operatorium die 14^o m. Nov. a. 1892^o ad fratres directum, quo praeter alia scripsit laborem urgentissime efficiendum esse caminos in domunculis portariis instituere, qui necessario exstruerentur antequam tecta contegerentur.)

⁴¹ *Cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), p. 284; Konrad HECKELSMÜLLER: *Baugeschichte St. Ottilien* (s.a.), p. 12 [typoscriptum].

⁴² *Cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), p. 282.

Theodiscā legerentur haec: «*Venite benedicti Patris mei, infirmus eram et visitastis me, hospes eram et collexisti me, esurivi enim et dedistis mihi manducare.*»⁴³ Quae verba ex Novo Testamento deprompta cum scopo domūs, quo pauperes reciperentur, bene conveniebant. Inscriptio autem similiter Theodisca, quae ad domum septentrionalem spectabat, erat haec: «*Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum ex hoc nunc et usque in saeculum.*»⁴⁴ Quae verba psalmi bene quadrabant cum huius domūs scopo, in quo ipse frater portarius locum suum habuit. Tamen illae inscriptiones praedispositae domibus portariis denique non sunt appositae.

2.3.7.6. De coemeterio

Indigentia, quā proprium coemeterium institueretur, iam anno 1889^o apparuit, cum primus confrater in ipso loco Otiliensi vitā functus esset.⁴⁵ Quamvis ibidem alibi sepulcrum invenisset, Otiliani de apto loco coemeterio suo destinando deliberare coeperunt. Electus est collis quidam altitudinis septem metrorum, qui in regione meridionali-orientali futuri aedificii monasterialis situs erat. Ille collis appellabatur «mons calvariae»,⁴⁶ quia ibidem domuncula parva constituta erat, quae ut cappella percepta erat.⁴⁷ Apparuit autem, quia ibidem in terrā effodiendā additamenta sepulcralia inveniebantur, hunc collem iam ab Celtis ut locum sepulturae habitum esse.⁴⁸

Iam anno 1890^o P. Andreas Amrhein delineationes propositaque exhibuit, quae ad futuram dispositionem aspectumque coemeterii spectabant. Secundum haec consilia⁴⁹ spatium provisum erat, quo circiter octoginta mortui sepeliri possent. Collis autem aedificando ita mutaretur, ut xysti exorirentur, in quibus sepulcra ponerentur. In parietibus xystorum undecim stationes viae

⁴³ Cfr Matth. 25,34-36. - Tamen P. Andreas Amrhein versūs in inscriptione exhibendos in serie commutatā proposuit.

⁴⁴ Ps. 121,8.

⁴⁵ Erat Fr. Philippus Ellwanger, qui die 14^o m. Oct. a. 1889^o in coemeterio Aeresingensi sepultus est. - Cfr Leander BOPP (1954), p. 178.

⁴⁶ Cfr Leander Bopp (1954), p. 178; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 146; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 273.

⁴⁷ Ut parochus Aeresingensis ab episcopo Augustano de hac re interrogatus nuntiavit, non agebatur de vera cappella, sed tantummodo de aedicula, quae ad figuram gregis cruciatūs protegendam apposita erat. - Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), p. 273.

⁴⁸ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 146; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 273.

⁴⁹ Cfr Chronik, 13.4.1890; Leander BOPP (1954), p. 178; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 273.

dolorosae erigerentur, duodecima statio esset crux coemeterii ante cappellam in culmine collis posita, statio tertia decima esset figura ipsius Matris Dolorosae in cappellā invenienda et statio quarta decima esset cappella sepulcralis in imo colle exstruenda.



Delineatio coemeterii praedispositi.
[Missionskalender 1892, coll. 283/284.]

Haec hactenus de structura praedisposita, quae tamen eodem modo non ad effectum adducta est. Nihilominus ad coemeterium instituendum licentiae officiales petendae erant. Iam mense Aprili a. 1890ⁱ officii districtūs atque medicus municipalis aream inspexerunt et locum ex aspectu officii sanitarii aptum esse declaraverunt. Videntur autem aedificandi descriptiones ab regimine Bavariae superioris et ab episcopo Augustano mense Sept. a. 1890ⁱ comprobatae esse.⁵⁰ Itaque die 3^o m. Nov. a. 1890^o P. Andreas Amrhein omnibus fratribus sororibusque praesentibus coemeterium sollemniter inauguravit.⁵¹ Prima autem mortua, quae in coemeterio sepulta est, erat novicia

⁵⁰ Cfr Leander BOPP (1954), p. 178. - Videtur tamen anno 1891^o adhuc commercium epistulare de coemeterio instituendo cum regimine districtūs Landsbergensis exstisise, ut ex epistolā P.ris Andreae Amrhein die 5^o m. Maii a. 1891^o datā apparet. - Cfr Matilda HANDL / Cyrill SCHÄFER (edd.): Der Gründer. Briefe II (2010), pp. 937 sq.

⁵¹ Cfr Missionskalender 1892, col. 282; Leander BOPP (1954), p. 179; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 273; Paulus SAUTER (1894), p. 15 et Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 146 ipsum festum omnium defunctorum indicant; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 9 [typoscriptum] diem certum

Theresa Koegel, quae die 12^o m. Ian. 1891^o viginti duos annos nata vitā functa erat.⁵²

2.3.7.7. De novo aedificio seminarii Sancti Michaelis

Cum inde ex mense Augusto a. 1893ⁱ patres fratresque paulatim ad novum monasterium virorum transmigrarent, aedificium Sancti Michaelis, quod antea castellum Ambingense erat, usui alumnorum traditum est.⁵³ Hoc propter numerum crescentem alumnorum omnino necessarium erat, ut iidem aedificium proprium haberent.⁵⁴ Sed alumni non nimis diu tranquille hac condicione frui potuerunt. Nam - uti iam commemoratum est⁵⁵ - die 14^o m. Sept. a. 1894^o meridiano tempore in laboribus distribuendis P. Andreas Amrhein ex improvise iussit vetus castellum statim diruendum et novum aedificium exstruendum esse.⁵⁶

Itaque omnes - patres, fratres, alumni - iam eodem postmeridiano tempore aedificium vacuefacere et deinde ab tecto incohantes diruere coeperunt, ita ut vespere aspectum parietinarum iam praeberet. Tamen non totum castellum vetus est amotum, sed eiusdem pars transversa, in quā «oecus equitum», qui dicitur, situs est atque prior habitatio P.ris Andreae Amrhein locum habebat et quae immediate ad cappellam Sanctae Ottiliae adiuncta erat, intacta relicta est.

Omnia autem opera celerrime progrediebantur. Nam usque ad diem 26^{um} m. Sept. a. 1894^o area aedificationis ab rudibus liberata atque complanata erat, quo die P. Andreas Amrhein, qui interea iam descriptionem novi aedificii

non indicat.

⁵² *Cfr* Bernita Walter: Von Gottes Treue getragen. St. Ottilien 1985, p. 124; Leander BOPP (1954), p. 179; Frumentius RENNEN: Leuchter I (²1979), p. 147.

⁵³ *Cfr* Paulus SAUTER (1894), p. 17, qui in relatione suā conscribendā, quā gaudenter de seminario in castello instituto refert, nondum quicquam de domo diruenda re-aedificandaque scire potuit.

⁵⁴ Ut Maria HILDEBRANDT (2008), p. 167 refert, P. Andreas Amrhein iam anno 1890^o veteri castello novum aedificium adiungere in animo habuisse videtur.

⁵⁵ De re ipsa atque de conexū *cfr* supra cap. 2.3.5.3.

⁵⁶ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 178; Frumentius RENNEN: Leuchter I (²1979), pp. 144 sq.; Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 167 sq.; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 13 [typoscriptum], qui tamen mensem Maium a. 1894ⁱ indicat (cum signo interrogationis).

delineare coeperat, margines novi seminarii signavit.⁵⁷ Duobus diebus post murarii fundamenta caementicia in latere meridionali ponere iam incohaverunt.

Usque ad finem anni labores simili celeritate continuebantur. In initio mensis Octobris a. 1894° P. Andreas Amrhein omnes descriptiones confecisse vide-



*Frontispicium meridionale seminarii Sancti Michaelis
ab P.re Andrea Amrhein delineatum.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p.169.]*

tur, ita ut easdem ad varios magistratūs, ut comprobarentur, transferre posset.⁵⁸

⁵⁷ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (2019), p. 145; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 168.

⁵⁸ Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), p. 168. - Die 15° m. Oct. a. 1894° P. Andreas Amrhein epistolam ad medicum municipalem direxit, quā singillatim explicuit mandata hygienica in aedificio seminarii extruendo exacte observata esse. Ex hac epistolā multa comperiuntur, quae spectant ad dispositionem atque dimensionem internam aedificii. - Cfr Matilda HANDL / Cyrill SCHÄFER (edd.): Der Gründer. Briefe II (2010), pp. 1124 sqq.

Die 22^o m. Nov. 1894^o paene omnes muri externi confecti erant, etiam pars additicia in latere septentrionali veteris castelli, quā ambulacrum ad cappellam continebatur. Usque ad festum Natalicium, quamvis difficultates quaedam fuissent, insuper contigit, ut partes principales suggrundii erigi possent



Aedificatio seminarii Sancti Michaelis.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p. 170.]

atque omnibus adiuvantibus tegulae superponerentur.⁵⁹ Sic aedificium exterius maximā ex parte confectum erat. Aedificium autem novum Sancti Michaelis ad partem transversam veteris castelli adiunctum circiter viginti duo metra in occidentem extendebatur atque tria tabulata habuit. In eiusdem latere occidentali apposita erat pars transversa, ita ut symmetrice ad reliquam alam veteris castelli constitueretur.⁶⁰

Laborum vero pausā hiemali transactā non solum reliquum suggrundium apponebatur, sed inde ex mense Martio anni 1895ⁱ imprimis aedificii instructio interna suscipiebatur. Praeter labores multiplices, quibus conclavia oecique speciales instituebantur, etiam mutatio quaedam interna in reliquā

⁵⁹ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (2^o1979), p. 145; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 171.

⁶⁰ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (2^o1979), p. 171.

parte veteris castelli facta est. Nam in priore habitatione P. ris Andreae Amrhein pavimenta atque oeci immediate infra siti lacunar amovebantur, ita ut oecus festivus duorum tabulatorum exoriretur.⁶¹ Res scitū digna etiam est



*Novum seminarium Sancti Michaelis ex latere occidentali receptum.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p. 175.]*

illas novi monasterii scalas, quae male evēnerant atque ibīdem pessime quadrabant, inde amotas esse et ad aedificium Sancti Michaelis translatas illi domui adaptatas esse.⁶²


Interior vero dispositio aedificii Sancti Michaelis erat haec:⁶³ Pedeplanis immediate post introitum a sinistris (id est in aedificii parte meridionali) inveniebatur conclave portarii, a dextris conclave locutorium, iuxta quod situm erat conclave quoddam classium. Iuxta conclave portarii inveniebatur «habitatio» praefecti. In parte septentrionali erant conclavia vestimentorum et calceamentorum et alius oecus, quo alumni ad musicam exercendam usi sunt. In latere orientali (id est in reliquā parte veteris castelli) situs erat oecus

⁶¹ Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), p. 171.

⁶² Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), p. 172.

⁶³ Praeter ichnographiam cfr descriptio, quae in periodico, q.e. «Infans paganicus» [*Heidenkind*] 11, 1898, pp. 97 sqq. exhibita est. (Textus allatus ab Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 172 sqq.).

festivus, in latere occidentali cenatio alumnorum inveniebatur.⁶⁴ Primo tabulato continebantur conclavia classium iuxta ambulacrum sita; maior oecus, qui supra cenationem situs erat, destinatus erat discipulis iunioribus, ut ibi-




Ichnographia pedepianorum Sancti Michaelis.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p. 170.]

dem pensa domestica sua efficere possent. In latere orientali supra oecum theatri inveniebatur oecus studiorum maioribus alumnis destinatus. Totum autem tabulatum secundum pertinebat ad alumnorum oecum dormitorium.

In fine mensis Iulii a. 1895^o, cum labores in exteriori aedificio maximā ex parte finiti essent, in murum meridionalem veteris castelli tabula memorialis imposta est, quā legebantur haec: «*Reliquiae «veteris castelli Ambingensis», domus matrix Congregationis O.S.B. p.m.e. [pro missione externa] inde ex anno foundationis Ottiliensis 1887^o usque ad annum 1892^{um} et habitatio fundatoris.*»⁶⁵

⁶⁴ Infra cenationem sita erat culina, ex quā cibi anabathro adhibito sursum transportabantur.

⁶⁵ Quae tabula Theodisce exarata ibidem adhuc conspici potest.



Tabula memorialis muro veteris castelli inserta.

Die autem 15^o m. Aug. a. 1895^o alumni, qui interea in hospitio habitaverant, ad novum aedificium Sancti Michaelis transmigrare potuerunt.⁶⁶

2.3.7.8. De aedificiis oeconomiae

In initio temporis Ottiliensis consociationi missionariae erant varia aedificia oeconomiae, quae ad vetera praedia Ambingensia pertinuerant.⁶⁷ Tamen decursū temporis éadem, cum essent vetera neque nimis magna, indigentii consociationis non iam sufficiebant.

Primum autem oeconomiae aedificium novum, quod exstruebatur, erat horreum, quod ad usum sororum spectabat et cui nomen Sanctae Notburgae inditum est.⁶⁸ Mense Iulio a. 1892ⁱ praedispositiones ad novum horreum exstruendum incohabantur. P. Andreas Amrhein haec opera ingeniaro Engelberto Schnell tradenda esse decrevit, quia novum horreum omnibus indigentii modernae agriculturae reique pecuariae adaptatum esse voluit.⁶⁹


⁶⁶ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 178; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 172, quae diem transmigrationis 22^{um} m. Aug. a. 1895^o indicat.

⁶⁷ Maria HILDEBRANDT (2008), p. 287 scribit fuisse tantummodo tria aedificia huiusmodi. Sed videntur tamen paulo plura fuisse, cum et ad domum Sancti Gabrielis et ad domum Sancti Raphaelis et ad domum Sanctae Annae et ad priorem cauponam stabulum horreumque pertinebant, similiter ad castellum Ambingense aedificium spectabant, quo stabulum equorum vaccarumque continebatur. - *Cfr* Leander BOPP: Zur Geschichte des Weilers Emming (s.a.), pp. 37 sqq. [typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum].

⁶⁸ *Cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 287 sqq.

⁶⁹ *Cfr* P. ris Andreae Amrhein mandatum operandi ad subpriorem die 19^o m. Iul. a. 1892^o datum. *Cfr* Matilda HANDL / Cyrill SCHÄFER (edd.): Der Gründer. Briefe II (2010), pp. 1042. - Hōc in textū P. Andreas Amrhein etiam explicuit sibi necessarium esse videri,

Novum autem horreum in regione septentrionali monasterii sororum ponebatur. Labores vero satis celeriter efficiebantur, cum iam die 10^o m. Sept. a. 1892^o eorum finis nuntiabatur.⁷⁰ Inde ex illo tempore sorores propriam oeconomiam solae curabant, quae res antea communiter cum fratribus efficiebatur.



Horreum Sanctae Notburgae.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p. 289.]

Tamen gaudium de hōc novo horreo non nimis diu durabat. Nam die 9^o m. Sept. a. 1895^o horreum Sanctae Notburgae incendio deletum est. Magna autem calamitas erat, quia non solum aedificium ipsum maximo detrimento affectum erat, sed insuper omnia, quae inerant - frumentum, holera, faenum, vehicula, machinae - perierunt.⁷¹ Insuper solum aedificium ipsum assecuratione tutum erat. Illo tempore rumores exoriebantur ipsam Catharinam Scheins, priorem superiorissam ex munere amotam, ignem accendisse, quia ultionem quaesivisset.⁷² Videtur tamen incendii causa in defectu alicuius

ut ingeniaro Schnell munus aedificandi hac in re susciperet, quia propter monasterium exstruendum ipsi vix spatium temporis ad novos labores exarandos esset et quia ingeniaro Schnell maiores experientiae in huiusmodi aedificiis praedisponendis erigendisque essent.

⁷⁰ *Cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), p. 287.

⁷¹ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 241; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 210; Bernita WALTER (1985), p. 153; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 288.

⁷² De conexū *cfr* supra cap. 2.3.6.2.

fornacis fuisse.

Igne autem exstincto muri aedificii ita debilitati erant, ut duobus diebus post murus frontispicii occidentalis dilaberetur atque in cadendo lacunar concameratum harae⁷³ demoliret. Tamen Ottiliani statim labores susceperunt, quibus illud horreum denuo exstruerent. Qui vero labores usque ad mensem Novembrem a. 1895ⁱ protracti sunt.

2.3.7.9. De statione ferriviaria

In initio temporis Ottiliensis, de quo hic agitur, nondum revera de «statione ferriviaria» loqui possumus. Tamen consultationes quaedam praeviae iam instituebantur, ut talis «statio» fieret.

Cum inde ex annis septuagesimis saeculi undevicesimi rete ferriviarium in Baviā quōque superiore extenderetur, etiam plurimae civitates illius regionis coniunctionem ferriviarium habere desiderabant. Nam hunc in modum non solum res industriales, sed etiam condiciones periegeticae magis florere putaverunt atque speraverunt. Ad hunc conexum etiam pertinuerat constructio «ferriviae Lacūs Ambronis»,⁷⁴ quae dicitur et quā Augusta Vindelicum cum Lacū Ambronis coniungeretur. Nam civitates vallis Parii fluvii⁷⁵ atque iuxta Lacum Ambronis sitae directam coniunctionem cum Augusta Vindelicum desiderabant. Tamen de ductū tramitum ferriviariorum diutius dissensiones exstabant. Denique ferrivariae commissioni Augustanae anno 1883^o recenter conditae contigit, ut anno 1884^o constructionis delineamenta accurate exarata ad tramitem ferriviarium inter Augustam Vindelicum, Aburacum⁷⁶ atque Dissam⁷⁷ exstruendam exhiberet. Anno autem 1886^o trames ferrivarius inter Moringam⁷⁸ et Dissam propositus officialiter comprobatus est.⁷⁹ Sed trames ita praedispositus erat, ut per superiorem vallem Parii fluvii duceretur et deinde ab loco Kaltenberg ad oppidula Geltendorf atque Türkenfeld ad Bragodurum⁸⁰ atque ad oppidulum Greifenberg usque ad oppidum Schondorf

⁷³ hără, -ae f.: stabulum suibus destinatum.

⁷⁴ Lacus Ambronis: *Ammersee*. - Cfr Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER: *Bavaria Latina. Lexikon der lateinischen geographischen Namen in Bayern*. Wiesbaden 1971, p. 148.

⁷⁵ Parius (fluvius): *Paar*. - Cfr Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971), p. 186.

⁷⁶ Aburacum: *Weilheim*. - Cfr Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971), p. 52.

⁷⁷ Dissa: *Diessen*. - Cfr Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971), p. 114.

⁷⁸ Moringa: *Mering*. - Cfr Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971), p. 166.

⁷⁹ Cfr Andreas JANIKOWSKI: *Die Ammerseebahn. Verkehrsentwicklung im westlichen Oberbayern*. Stuttgart 1996, pp. 11 sqq.

⁸⁰ Bragodurum: *Beuern*. - Cfr Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971), p. 89.

continuaretur. Hunc in modum trames ferrivarius, qui ab Monaco usque ad oppidum, quod est Rostro Nemaviae,⁸¹ ducebatur, in loco Türkenfeld compitum ferrivarium finxisset.⁸²

Sed difficultates nondum omnino amotae erant. Nam agricolae in loco Türkenfeld aream ad constructionem necessariam vendere atque tradere recusaverunt, cum denuo detrimentum, quo agri sui tramite ferrivario desecarentur et quod in priore ferriviae constructione iam habuerant, denuo perpeti nolent.⁸³

Sed hōc problema erat emolumentum Ottilianorum. Eorum enim maximopere intererat tramitem ferrivarium in propinquo monasterii fore, cum imprimis de materiis afferendis transportandisque cogitarent. Tali condicione vigente Ottilianis contigit, ut consultationibus se adiungerent. Ut traditur, praesertim Fr. Paulus Sauter, P. Coelestinus Maier et P. Maurus Hartmann in hanc quaestionem incubuerunt et commissionem ferrivariam ad hanc opinionem adducere valuerunt, ut alium tramitem construendum decerneret, cuius compitum deinde in oppidulo Geltendorf erat et qui eā de causā monasterium Ottiliense tangeret.⁸⁴

Mense Decembri a. 1895ⁱ repraesentantes omnium civitatum communitatumque, quarum ille trames ferrivarius intererat, convēnērunt, ut ipsa loca inspicerent atque proposita sua exhiberent. Ut repraesentans monasterii Ottiliensis hunc conventum participavit P. Maurus Hartmann, qui illo tempore vices P. ris Andreae Amrhein superioris generalis gessit. P. Maurus Hartmann multa ad rem promovendam attribuere valuit. Nam Ottiliani totam aream ad tramitem ferrivarium exstruendum necessariam ex possessione monasterii gratuito praebuerunt sub hac condicione, ut statio Ambingensis fieret atque ibīdem locus expeditionis mercium institueretur. Insuper P. Maurus Hartmann promisit monasterium Ottiliense sub eādem condicione viam aditalem ad stationem Ambingensem praevisam straturum atque sus-tentaturum esse.⁸⁵

⁸¹ Rostro Nemaviae: *Buchloe*. - Cfr Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER (1971), p. 207.

⁸² Cfr Andreas JANIKOWSKI (1996), p. 13; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 277.

⁸³ Cfr Andreas JANIKOWSKI (1996), p. 13; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 277.

⁸⁴ Cfr Andreas JANIKOWSKI (1996), p. 13; Frumentius RENNER: *Der Fünfarmige Leuchter*. II. St. Ottilien 1971, p. 3; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 277.

⁸⁵ Haec omnia apparent ex protocollo die 9^o m. Dec. a. 1895^o scripto, quo agitur de effectu conventūs ad ferriviam localem exstruendam spectantis et quo haec puncta singillatim enumerantur. Quod protocollum P. Maurus Hartmann illo loco, quo de monasterio Ottiliensi agebatur, ipse subscripsit. [Protocollum asservatur in archivo

Trames ferrivarius denique in parte orientali areae Ottiliensis non longe ab
coemeterio distans institutus est.

SIGRIDES ALBERT

Ottiliensi (ASO, A.11.10)].